ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 142r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



solum intellegant quia profecti sunt filii israel de aegypto
& prima profectio eorum fuit ex ramasse. & inde
profecti uenerunt in soccoth. & de socoth profecti
uenerint in othon ad epaulem iuxta mare. Tunc
deinde quod ibi nubes eos precesserit & secuta sit petra
de qua biberint aquam. transierint & iam per mare
rubrum & uenerint in desertum syna. Nos autem
qualem tradiderit de his paulus apostolus intellegentiae
regulam uideamus. Corinthiis scribens in quo
dam loco ita dicit; scimus enim quia patres nostri
omnes sub nube fuerunt. & omnes in moysen babtiza
ti sunt in nube & in mari. & omnes eandem escam
spiritalem manducauerunt. & omnes eundem potum
spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiri
tali sequenti petra. petra uero erat xpus. Videtis
quantum differat ab historica lectione pauli traditio;
quod iudaei transitum maris putant. paulus babtis
mum uocat. Quam illi aestimant nubem. paulus
sanctum spiritum ponit. Et huic simile uult intellegi
illud quod dominus in euangeliis praecepit dicens.
nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non
potest intrare in regna caelorum. Et rursum
manna quod iudaei cibum uentris & satietatem
aestimant gule. escam spiritalem nominat